

57  
POSITIONES ALI-33  
QUOT JURIDICÆ, 1630 8

Quas 8

Divina adspirante gratia

SVB PRÆSIDIO

*Viri Consultissimi & Clarissimi*

**DN. CHRISTIANI Kœrtemberg /**

J. U. D. Amplissimæ Facultatis Juridicæ Assesso-  
ris & Judici Electoralis Advocati dignissimi,  
Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui  
æviternum honorandi,

*Examini publico subicit atque  
proponit*

**CLEMENS JOHANNIS  
Hufensis Holsatus.**

*In Auditorio Jctorum horis à Septima  
matutinis die 27. Martij.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH', Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



V I R O

*Consultissimo & Clarissimo*

**Dn. BRODERO PAULI,**  
J. U. D. Domino Cognato & fautori  
suo plurimum colendo,

NEC NON

*Prestantissimo & Doctissimo Viro*

**Dn. JOSIÆ MARQUARDI, LL.**  
Candidato, Domino Avunculo paren-  
tis loco honorando,

*Disputatiunculam banc*

In,

sui, studiorumq; suorum  
commendationem,

*offert & consecrat*

Aut. & Resp.

**CLEMENS JOHANNIS.**



# In Nomine Domini Nostri Jesu Christi

## POSITIO PRIMA.

*Non omnes Sage indiscretè poenà capitis sunt  
afficiendæ.*



Agæ enim aut fatentur possibile, videlicet se homines & jumenta suis Magicis artibus interfecisse, & hoc si constat, sine ulla dubitatione flammis coneremantur, tam de jure divino: Maleficos non patieris Vivere. *Exod. 22, v. 18.* quàm civili, ut in *l. multi. 6. C. de malef. & mathem. P. H. D.*

*artic. 109.* So jemande den Leuten durch Zauberer Schaden oder nachtheil zufüget / soll man ihn straffen vom Leben zum Tode / vñnd man soll solche straffe mit dem Feuer thun. Aut fatentur impossibile, scilicet se per angustum foramen in aërem volasse, cum Diabolo venerem exercuisse, in bestias fuisse transmutatas, & ob id politicè puniendæ non sunt, sed verbo DEI potius melius instruendæ. Aut demiq; fatentur se contractum cum Satanâ iniisse, nemini tamen nocuisse, quo casu, extraordinaria poena, ut multa, fustigatione, relegatione, resipiscentes puniri possunt. Et ejusmodi esto poena temeritatis, quod Dæmoniacis illusionibus & ludibriis non satis constanter restiterint, imò etiam consenserint. Quod autem sortilegii poena arbitraria sit, probari potest.

*I.* Per supra allegatam constitutionem Carolinam in der *P. H. D. artic. 109.* Verba ita sonant. Wo aber jemande Zauberer  
A 2 reygē

rey gebraucher / vnd damit niemandt Schaden gethan hat / soll sonst  
gestraffet werden / darinnen die Vertheiler raths gebrauchen sollen /  
wie von Nachsuchen hernach geschrieben stehet.

II. Quia abnegatio ista Divini nominis & confœderatio  
Diabolica magis est delictum spirituale & Theologicū, quàm  
civile & Politicum, pertinens ad forum poli potius quàm soli.  
Ut igitur alia peccata spiritualia, scilicet hæresis, apostasia, pro-  
fanatio sabbathi, non puniri solent capite. Ita de abnegatio-  
ne ista similiter judicandum est, cum de similibus idem judi-  
cium esse solet.

III. Quia in re dubia benigniorem interpretationem  
sequi non minùs justius est, quàm tutius *arg. l. 9. ff. de R. I.* ju-  
stius enim est, injustum justè evadere, quàm justum injustè pu-  
niri, siquidem reus & si fortassis semel evaserit, potest iterum  
puniri; at innocens si semel capite punitus fuerit, in vitam  
revocari non potest. Tutius quoque & melius est, Deo ratio-  
nem reddere misericordiæ quàm crudelitatis *arg. c. 26. q. 4.*

IV. Hanc ipsam sententiam quoque approbant non pau-  
ci Juri, ut *Menochius, cas. 388. n. 1. Laurent. Kirchovius, concil. 12.*  
*tom. 2. consil. German. n. 9. Johan. Alehus. in Jurispr. Rom. cap. 52.*  
*lib. 1. Johan. Fichardus, consil. 112. n. 4. & alii quam plurimi.*

## POSITIO SECUNDA.

*Venefica per aquam frigidam explorari  
non debent.*

I. Quoniam impium est & species Idololatriæ, verita-  
tem ab elemento aquæ expiscari, & Idolum in ea sibi fabrica-  
re, cum ipse per se juxta D. Lutherum nihil efficere possit.

II. Quia hoc inventum est Diaboli, quo sæpe justis &  
innocentes ad mortem condemnantur. *Dambaud. in pract.*  
*crim. c. 43. & Joan. Borcholdt. de Feud. c. 7. n. 52.*

III. Quia in causis criminalibus probationes luce me-  
ridiana clariores requiruntur. *l. ult. C. de probat. l. qui sententiam.*  
*16. C. de part.*

POSI-

### POSITIO TERTIA.

*Judex pro indaganda veritate Veneficas, quando alia probationes desunt, & monita spontè peccata sua fateri nolunt, precedentibus indicis legitimis torture subicere potest.*

I. Per textus Juris l. 7. C. de malef. & mathem. l. 7. ff. de quest. l. fin. eod. tit. constit. Carolin. artic. 44. cum seqq.

II. Quia pleraq; crimina clam arbitris & occultè committuntur, ut semper copia testium haberi non possit: Ideò tortura arripienda est, ut per tormenta veritas exprimat, non etiam, ut quis hac ratione enecetur vel puniatur. *Wesemb. in parat. ff. de quest. n. 2. & 12.*

III. Quia hoc genus exquirendi veritatem antiquissimum est, omnium ferè bene institutorum populorum commune, ut non immeritò pro lege ac jure quodam gentium haberi possit. *Wesemb. in parat. de quest. n. 3.*

IV. Quæstionibus utendum esse, nec omnes omnino repugnare Verbo DEI, constat quodammodo ex republica Judæorum, in qua propter defectum testium per sortes, ut in furto. *Achan. Jos. 7. v. 18.* & per alias vias extraordinarias occulta scelera detegere non dubitarunt, *Keckermann. in discurs. Politic. p. 634.*

### POSITIO QUARTA.

*Omnes fures sive sint manifesti, sive nec manifesti, mares vel fœminæ, observatis probè delicti circumstantiis, rectè capitaliter puniuntur laqueoque suspenduntur.*

I. Juxta constitutionem Caroli V. in *Ordin. crim. artic. 157. & seqq.*

A 3

H. Pro-

II. Propter cōmūnem Juris regulam; Crescentibus delictis exacerbentur pœnæ. Ut enim in morbis periculosis & magnis remedia periculosa & extrema sunt adhibenda, juxta *Hippoc. aphorism. 6. lib. 1.* Ita adversus homines ferociores pœnæ duriores gravioresq; sunt decernendæ. *l. aut fact. 16. §. fin. ff. de pen.* Nam quod medicamenta morbis præstant & corporibus, hoc exhibent jura Reip. & negotiis. *Nov. 112. in pr.*

III. Quia hoc loco non tam res furto ablata, quàm contemptus legum & magistratus, imò ipse affectus furandi fraudulentus ac perversus consideratur, quo salus populi & Reip. quæ juxta Ciceronem nobis suprema lex esse debet, læditur. *Schneid. ad §. fin. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. n. 2. 6.*

IV. Quoniam fures non minus societatem humanam violant, quàm homicidæ & adulteri. Non enim tantum concordie & tuto convictu, ac tranquilla maris & foeminae conjunctione; Sed etiam distinctione Dominiorum tuitioneq; rerum ac justorum commerciorū ad societatem vitæ, tenendam opus est: quam cum violent fures, non mirū est, si exemplo sicariorū & adulterorum extremo supplicio afficiantur. *Wesemb. in parat. ff. de furt. in fin.*

## POSITIO QUINTA.

### *Principes subditis Jus Venandi Jure abstulerunt.*

I. Quia ad pacem & tranquillitatem tuendam, publicè interest non esse omnibus commune jus venationis. Nam ut reliquarum rerum communio parit discordias *l. cum pater. 79. §. omnia. de legat. 2.* ita res proculdubio multis litibus, sæpè etiam cædibus occasionem præberet, si omnibus promiscuè licita esset venatio *Wesemb. in parat. ff. de A. R. D. n. 7.*

II. Quia Venatio ferarum, præcipuè majorum, sine armis facilè exerceri nequit: Usus autem armorum subditis privatis interdictus est. *tot. tit. C. ut armor. Usus &c.*

III. Si hominibus de tribu levi permissæ essent venationes, certè quilibet officium suum postponeret, animumq; nimis intentè ad eas applicaret; faber enim malleum, nauta navem,



venem, agricola agros, & sic deinceps relinqueret. Quod ne fiat, publicè utile est. *Auth. agriculatores. C. qua res pignor.*

IV. Quia hoc jùs quæsitum principès habent jure compensationis, cum populus id, quo ipse quoque uti poterat, libenter cessit principibus in compensationem laborum ac vigiliarum, quas pro populo sustinere necesse habent.

V. Hoc venandi Jus principibus attributum est jure præscriptionis, dummodo isti id ex longa subditorum patientia præscripserunt, ut facultatem se opponendi & de injuria quiritandi amplius non habeant. Nam hæc præscriptio, cujus initii memoria non extat, privilegii loco habetur. *l. hoc jure. 3. §. ductus aqua. 4. ff. de aqua quotid. & æstiv. c. super quibusdam. extr. de V. S.*

### POSITIO SEXTA.

*Illi, qui contra prohibitionem principis venati fuerint, non statim ultimo supplicio sunt afficiendi.*

I. Propter Jus divinum; dixit enim Deus; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit p. scibus maris & volatilibus cæli & bestiis. *Gen. 1. v. 22.* Quod etiam respexit Psalmista *Psal. 8.* omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, boves, & pecora campi &c. E quibus optimè colligitur, neminem propterea, quod invito principe feras ceperit, capite plectendum esse.

II. Propter Jus civile, quo illi, qui contra prohibitionem alterius fundum venandi causa ingrediuntur, saltem injuriarum actione, quarum pœna arbitraria est. *§. in Summa. Inst. de injur. tenentur. l. quod enim. 3. §. nec interest. 1. ff. de A. R. D.*

III. Quia aliàs feræ bestię in sylvis vagantes actu ipso & propriè loquendo nondum sunt in Principum possessione & Dominio. Multa enim accidere possunt, ut quis eas non capiat, quemadmodum loquitur *Imp. in §. 13. in fin. Instit. de R. D.*

IV. Quia

IV. Quis nulla analogia est inter feram bestiam & hominem sive vitam ejus : Hominis enim ad imaginem Dei conditi vita longè præstantior est, quàm mille cervi & lepores. *Baldum in Cas. Consc. pag. 1192.* Hinc digna vox est administratoris Sax. Frider. Wilhelm. laudatissimæ memoriæ, qui confitetur, se aliquoties Sacra biblia perlegendo evoluisse, nondum tamen in illis invenisse, cur homini ad imaginem Dei condito ob feram captam vita adimi debeat.

Quod si verò quis contra mandatum principis pertinaciter venationibus indulgeret, & contemptus legum & magistratus appareret, ita ut incorrigibilis factus videatur, utpote qui pœnas arbitrarias floccipendit; eo sane casu etiam ultimo poterit affici supplicio, non tam ratione Venationis reiteratæ, quàm reiterati contemptus & pervicaciæ extremæ, pro modo tamen & varietate circumstantiarum, cum in hoc casu lento gradu ad capitis pœnam sit procedendum. *arg. l. 28 §. solent. ff. de pœn. arg. cap. cum non ab hoc. extr. de Judic. Novell. 117. cap. 15.*

#### POSITIO SEPTIMA.

*Judex secundum acta & probata, non verò secundum scientiam Judicare debet.*

I. Propter textus juris civilis, ut in *l. illicitas. 6. §. Veritas. ff. de offic. præsid. & l. probandum. 13. §. etsi quidem 2. C. de Judic.*

II. Quia jura nostra non patiuntur, ut unus idemque simul & testis & Judicis officio fungatur, prout est text. in *cap. 1. cum seqq. Caus. 4. quest. 4.*

III. Quod tutior sit hæc ratio lites finiendi, cum privata scientia multis modis fallere possit.

IV. Hæc quoque communis est Doctorum sententia. Perperam igitur agunt, qui ab hac discedunt : Nam à communi sententia in judicando vel respondendo non facile est recedendum. *Jas. in aurb. novissima n. 23. C. de inoffic. testam. Cum*  
id quod

id quod à pluribus sapientibus quæritur, facilius invenitur, ut dicit Bald. Et acrius est multorum, quam unius vel alterius cuspian de quaq; re Judicium. *Arist. lib. 3. c. 7. § 11.*

## POSITIO OCTAVA

### *Uxores refractarias verberare non licet.*

I. Quia pugnat cum Sacra Scriptura tam in genere, *Gen. 2. v. 24.* Ubi uxor pars corporis mariti nuncupatur: & Paulus ait ad *Ephes. 5. v. 29.* quis unquam carnem suam odio habuit? Dum igitur mariti verberant uxores, seipsos verberant, cum uxor & maritus sint una caro *Matth. 19. v. 6.* Quam in specie ad *Colos. 3. v. 19.* Viri diligite uxores vestras & nolite amari esse ad illas, quando itaq; verberant, quomodo illas diligant?

II. Quia verbera ingenuis aliena sunt. *l. consensu. 8. C. de repud. & uxori propter verbera accepta olim repudii auxilio uti concedebatur. d. l. consensu §. fin. in fin.* Quod tamen postea per *Nov. 117. c. 14.* ita correctum est, ut si quis uxorem suam cæciderit sine aliqua causarum &c. ex substantia sua tantum dare debet uxori, etiam constante matrimonio, quantum tertia pars ante nuptialis facit largitatis.

III. Quia verberibus mulierum malitia non tollitur, sed magis magisq; exasperatur, ita ut uno Spiritu malo excusso, septem alii nequiores ingrediantur.

IV. Si originem mulieris primæ consideramus, videmus, illam non ex pede prodiisse, ut pedibus conculcicaretur, nec ex capite, ut viro imperaret, sed ex costa de latere, ut ex intimis cordis visceribus amaretur.

Nihilominus tamen leges modicam correctionem marito concedunt. *arg. l. 5. §. fin. ff. ad L. Aquil. text. in l. rei iudicata. 15. §. hered. ff. sol. matrim.* Sed talem, quæ in blanditiis mollibusq; verbis atque maritali sermone, ut utar verbis *Jcti in l. ult. ff. si quis aliq. test. prohib.* non verò verberibus consistat. Nam ut dicit Bernh. Sylvester, malam uxorem potius risu, quàm baculo castigabis. Nec etiam omnes blanditias viris ample-

B

ctendas

Etendas censeo, sed tantum severas ( ut sic appellem ) & cum majestate quadam conjunctas, non etiam molles, humiles, demissas, quib. mariti erga uxorem autoritas imperiumque emolliatur minuaturve. *Tiraq. ad l. 9. connub. n. 203. & seqq.* Quod si verò eveniat, ut maritus a lapam forsan ex ebrietate & calore iracundie profectam uxori suae impegerit, illam æqui bonique consuleri non dubitet. Quandoquidem si hoc ultra metas modice castigationis est, excessus sanè non magnus est, modica autem non curat Prætor. *Riminald. Jun. consil. 174. n. 31. v. 2. & Roland. consil. 27. n. 20. tit. 3.*

### POSITIO NONA.

*Spurii neque Juris neque facti infamiam laborant.*

I. Quia ad dignitates Jure civili possunt pervenire: Nam decuriones fiunt *l. 6. ff. de Decur.* quales sanè non fierent, si infames essent, cum hi, qui ejusmodi sunt, ab omnibus muneribus & honoribus solent arceri. *l. 2. C. de dignit.*

II. Doctores jure creari possunt. *Gabriel Palaotas in tr. de Spur. c. 56. v. 8.* Quod autem non ubi vis ad Gradum Doctorem admittantur, id consuetudini ascribendum est.

III. Quia crimen paternum nullam maculam filio infligere potest. *l. crimen. 26. ff. de pœn.* At id ipsum, ex illicito coitu nasci, non filii sed parentis culpa est. *c. nasci. distinct. 56. E.* nulla inde filios sequitur infamia.

IV. Infamia facti ex proprio aliquo delicto oritur. *l. cognitionum. 5. §. 1. ff. de var. & extraord. cognit.* Spurii verò alieno laborant vitio. *l. legem. 7. C. de natural. lib. & c.*

V. Quia iniquum videtur, quod parentum culpam filii prestare debeant, ut ipsa testatur scriptura, cum omnes DEI filii sumus Patri per filium placati, ut ex Hieronymo Gratianus monet, dum dicit, quod Christus redemptor noster non solum de alienigenis, sed etiam de adulterinis commistionibus nasci voluerit ut nobis, qualicumque tandem modo nascamur, dummodo ejus vestigiis insistamus, spem participationis bonorum suorum præberet. *Keckerm. in discurs. polit. p. 411.*

VI. Quia

VI. Quia Spurii quàm multi ad maximos fortunæ gra-  
dus pervenerunt, ut Romulus, Remus, Servius Tullus, Reges  
Romanorum; Artaxerxes & Darius reges Persarum; Alexan-  
der Severus, Aurelianus, Constantinus Magnus, Galerius Ma-  
ximianus, Omnes Imp. Romani, Clemens VII. Johannes X.  
& Leo V. Pontifices; Bartolus, Jason & Johannes Andreas  
Jcti eximii. De his ut & de aliis compluribus videri potest  
*Gabriel Paleotus in tr. de Spurii.*

### POSITIO DECIMA.

*Executores Justitiæ, quos vulgò carnifices ap-  
pellamus, non sunt infames.*


I. Quia illorum munus in se bonum est, & facit ad pro-  
motionem Justitiæ.

II. Quia officium & ministerium, quod justitiæ deferunt  
& attribuunt, non ipsos, sed ipsi potius interdum officium com-  
maculant. *Keckerm. in discurs. Phil. disp. 32. quest. 6. Et benthal. in  
polit. exercit. 12. q. 12.*

III. Sententiâ nostrâ ulterius demonstrari potest exem-  
plis populi DEI, ubi nobilissimos quosq; si testes capitalium  
scelerum fuissent, eosdem carnifices habere non fuit inhone-  
stum, sed necessarium. *Bodin. lib. 3. de Repub. cap. 8.* Accedit  
mos Angliæ, in qua extremum pietatis officium esse scribit i-  
dem *Bodin. d. 1.* Si proximiores populi, fratres imò ipsi  
parentes carnifices agant, & facinorosis de tra-  
be humili pendentibus gulam  
frangant.


SOLI DEO GLORIA.

Ad  
Præstantissimum atque Literatissimum  
Dn. CLEMENTEM JOHANNIS, fautorem, ami-  
cum & popularem suum per dilectum, Ju-  
ridicè disputantem.

 Uò tendis, CLEMENS *Astræe sedule cultor?*  
Quid versare juvat casus noctesq; diesq;  
Tam varios juris? terras *Astræa* reliquit  
Sanguinibus madidas, crepitantia concutit arma,  
Mundus jam totus, jus cedere cogitur armis!  
Ast inquis, nobis quondam meliora reducet  
Tempora cunctipotens, qui novit frangere tela,  
Arma, arcusq; hostis, canamq; reducere pacem,  
Et tunc querentur, qui jura expandere possint.  
O bene! perge, tuis studiis benedicat *Jova*.

MATTHIAS PAULI  
Dithmars: Holsatus.

---

 Ui famam studuere illustribus addere factis,  
Illis restat honos, restant & muneris ipsis  
Præmia suscepti, vivitq; in pectore virtus.  
Sed quid, dic, melius, quàm mens clara arte referta,  
Castra salutarum Musæ quæ venit ab annis?  
Nil. Tandem cultor Musarum præmia spectat:  
Nam juris studio quæ sita est aurea virtus.  
Exemplum statuit nunc in te, frater amande,  
Cui Themis eximios, CLEMENS, jam spondet honores,  
Taliter, ut tandem retrahas tibi nominis ævum.  
Sic quoq; (si perges exopto indulgere labori)  
Herculeæ sortis te præmia digna manebunt.

BARTHOLOIUS HINTZIUS  
LL. Studios.

ULB Halle


3

004 961 196




WMA









B.I.G.

Farbkarte #13

521.

57

POSITIONES ALI-<sup>33</sup>  
QUOT JURIDICÆ, 1630 8

*Quas*

*Divina adspirante gratia*

*SVB PRÆSIDIO*

*Viri Consultissimi & Clarissimi*


**DN. CHRISTIANI Brembergk /**

J. U. D. Amplissimæ Facultatis Juridicæ Assessoris & Judicii Electoralis Advocati dignissimi, Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui æviternum honorandi,

*Examini publico subjicit atque proponit*

**CLEMENS JOHANNIS Hufensis Holsatus.**

*In Auditorio Jctorum horis à Septima matutinis die 22 Martij.*



**WITTEBERGÆ,**

**Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.**

**ANNO M DC XXX.**

